



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

123. Fer. 5. De apparit̃ facta Magdal. soli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

mente, pasce ore, pasce opere, Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Lyranus addit: Veritatis verbo, vite exemplo, temporali subsidio.

MEDITATIO CXXIII.

Feria. 5. Pasche.

De Apparitione facta Magdalene soli;

Videbo Dominum velut alterum Samsonem, inferni claustris eversis spectabilem factum Mariæ Magdalene. Petam agnoscere ejus præsertim dilectionis puritatē, & imitari.

Conf. 1. Quomodo Magdalena, de qua Dominus septem ejecerat demonia, contraria donis S. Spiritus nihil nocimenti percepit; quia ut hic ait D. Hieronymus: *Pecata præterita non nocent, quando non placent.*

Conf. 2. Quanto amore flagraverit in Dominum, quæ non unum sed plures Angelos decoros veste, aspectu, & alloquio solatiij pleno dedignata contemplari, quia affectum ejus totum absorpserat Christus. Ipse est pars optima, & gratis amatur à corde casto, ut ait Aug. in Ps. 72. *Non ab illo petitur aliud premium qui aliud premium petit à DEO & propterea servire vult DEO, chariss facit quod vult accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere* Quid ergo? nullum premium det, nullum præter ipsum. Premium det, ipse DEVS est hoc amat,



amat, hoc diligit; si aliud dilexerit, non est castus amor.

Conf. 3. Quomodo Dominum allocutus sit, Conversa illa dicit ei: *Rabboni*, quod est Syriacum, & significat *Magister mi*, amabili- liter vocat Magistrum suum, ad cuius pedes aliquando sedens diligenter audiebat verbum illius, Luc. 10. quod quale fuerit, explicat propheticè David Psal. 15. *Notas mihi fecisti vias vite*; hoc itaque in resurrectione ex persona dicitur *Salvatoris*, inquit Ambr. quia resurgens notam habet *viam vite*, que ante fuit ignota, nullus enim adhuc resurrexerat. Felicissima sub hoc Magistro profecit Magdalena, quæ femina, ut loquitur hîc Beda, quondam mortis ministra, Resurrectionis Mysterium prima percepit, & nuntiat. Petam in hac schola proficere in scientia Sanctorum, utendo medijs, quibus usa S. Magdalena. Aug. hîc ait: *Conversa corde, quod erat cognovit*: qui se affectibus inordinatis spoliat, ei apparet DEVS

## MEDITATIO CXXIV.

## Feria 6. Paschæ.

## De octava Apparitione.

**A**spiciam Dominum in monte Galilææ qui videtur fuisse Thabor, antè designato apparentem suis. Petam intelligere quomodo ad montem DEI pervenire possim, inibiq; DEVM cernere.